

typo ante Constantium II. conscripto tempore procedente duo laterculi ii quos habemus ita abierunt, ut in Pontificali compilando pro diversis adhiberentur. Quomodo autem adhibiti sint, iam videamus.

Catalogi Liberiani exemplar scriptori praesto fuisse nostro vere unico plenius et emendatius inde colligitur, quod hoc ubi hiat, scilicet in Aniceto Sotere Eleuthero Zephyrino, quae deficiunt, consulatus praesertim ex libro Pontificali aliquatenus sarciri potuerint.

Indicis exemplaria cum supra viderimus discedere in familias duas locis non paucis differentes, quaerendum erit, ad utram familiam liber Pontificalis, quatenus a laterculo pendet, potissimum sese applicet.

Quaestiones hae ut iuste solvantur, inseremus laterculum spatiorum episcopalium omnium a Petro ad Constantinum, in quo finit codex Lucensis. Ad eum compilandum adhibui praeter editionem libri Pontificalis summa cura et egregio acumine factam a Ludovico Duchesne subsidia parata a societate monumentorum Germaniae, inter quae eminent profecta a Waitzii sollertia studiosa, nuper autem meis laboribus aucta. Codices me iudice utilitate carentes omisi. Notas, quibus Duchesnius usus est, retinui addens, ubi eiusdem codicis lectiones duae afferendae fuerunt, ad priorem notam^p, ad posteriorem corrigendo effectam notam^c. Subieci subsidiorum meorum conspectum brevem, sed qui huic incepto sufficiet.

- I. Liberiani catalogi numeros exhibui ad editionem meam supra citatam.
- II. Indicis exemplaria novem, quae adiectis numeris intra parentheses () adlegantur, dedi ad Duchesnium (l. c.), decimum dixi fragmentum Veronense Laurentianum quod dicitur perveniens a Symmacho ad Vigilium (l. c. p. 44—46).
- III. Editionis prioris, cuius plenum exemplum nullum aetatem tulit, notitia petenda est ex libris his:
 - a. Epitome Feliciana, cuius extant codices tres
F^a Parisinus 1457 saec. IX.
 - F^b Vaticanus reginae 1127 saec. IX.
 - F^c Bernensis 225 saec. IX. finiens in Liberio.

Epitomen hanc Duchesnius demonstravit factam esse ad editionem priorem. Sed eadem postea hic illic interpolata est ad editionis posterioris exemplaria deteriora. Eius interpolationis non late patentis, sed certae dabo exemplum. Vitae Silvestri c. 7 Duchesnius sic edidit in recensione utraque (p. 77. 171): *hic constituit, ut si*